Quaestio de inten-
sione et remissione formarum.

# QVÆSTIO
# DE
# INTENSIONE ET REMISSIONE FORMARVM.

*A*

*M. GREGORIO MODLINSKI in Almâ Cracouiensi Academiâ publicè ad disputandum proposita, die 17 Augusti, Horâ 10.*

Permissu M. D. Rectoris.

*CRACOVIÆ,*
Ex Officina Typographica Francisci Cesarij.
Anno Dni 1623.

aa.

Si acutior vel disertior vis haberi, candidus, & serenus veritatem quære: Sæpè enim affectu suffusa mentis integritas quæsitam diu ingeniis excellentibus perdidit opinionem.





Admodum Reuerendo Patri Domino, Dño

# BASILIO GOLINIO

Sacræ Theol: Doctori & Profess. Canonico Cracouien: Dno & Mecænati singulari obseruantiâ colendo.

M. GREGORIVS MODLINSKI

Salutem & perennem felicitatem ex animo precatur.

IN lucem prodijt prima ingenij mei contentio Admodum Reueren: Pater, vt ex iudiciis virorum præstantissimorum, quem potest colligat fauorem. Quæstionem adiuuante Deo propono, vt probem, mihi Aristoteleum Curriculum esse in animo: ad cursum in eodem gnauiter instituendum tu certaminis quasi premio proposito, author extitisti. Non sequi peramanter impellentem prohibet mea ad te colendum propensio incitatissima. Quid ni enim tuam constantem be

 neuo-

*neuolentiam studiosè colam? qui me ab aliquot iam annis apud Academiam in optima litterarum studia incumbentem, fouere ac complecti non desinis. Magnum erat mihi aditum ad te patuisse: maius domo tuâ exceptum fuisse: maximum sermonibus doctissimis, de literis, in ijsque faciendis progressionibus animum pectusq; toties compleuisse. Quorum omnium quoties venit in mentem recordari, quiddam mihi, paucis expetendum diuinitus contigisse plurimum intra me gaudeo. Magni æstimatur apud cocta iudicia tuæ elegantis literaturæ sinceritas quâ tu nites pulcherrimè. Quid amor tuus in Academiam incredibilis? quo inflammatus canos tuos si id rei communi profuturum sit, in quoduis discrimen statutum habes apud animum conijcere, Plura de his quæ sentiam, nisi in aperto essent, dixissem. Illud tuum proprium est, quod annorum, laborum, meritorum, bene vetus sis: proindeq; qui verus ac præstantissimus studiorum fructus est à teipso pendes, aduersus temporum vicissitudines, pugnas, fortunæ, iniurias ratione & Virtute vincis. Habet profectò authore Sophocle senilis ætas mentem & opportu-*

*na*

*na consilia: habet assertore Democrito florem temperantiæ & prudentiæ: habet Tullio suggerente bonas artes omniumque virtutum exercitationes. Cæterùm quia hæc laudum tuarum seges alterius est temporis, nec isthac rudiori potest concludi epistolâ: suffecerit me interim propositæ ad disputandum quæstionis patrocinium & authoritatem à tui nominis clarissimi petere celebritate. Quod dum ego spe boni euentus facio, simul cum ingenioli mei conatu, omnia pietatis & obseruantiæ studia deuotissima in vsum & possessionem optimi Fautoris humilis cliens offero. Faxit effector omnium rerum Deus vt florenti ac beatæ Academiæ supersis quàm diutissimè. Datum Cracouiæ è museo meo, pridie Idus Aug.*

*Admodum R. P. Vestr: obseruantissimus*

*M. Greg. Modlinski*

QVÆ-

# QVÆSTIO

## Vtrum tum formæ ſubſtantiales, tum accidentariæ è poteſtate materiæ eductæ; per additionem gradus ad gradum intendantur, per remotionem verò gradus à gradu remittantur nec ne?

## Concluſio I.

Formarum ſubſtantialium materialium è poteſtate materiæ interuentu actionis agentis naturalis ſit eductio.

### *CORROLLARIA.*

1. *Eductionis terminus à quo eſt eſſe potentiale formæ, terminus verò ad quem eſſe actuale.*

2. *Materiæ potentia primò & per ſe attendenda eſt in ordine ad actum proportionatum, qualis*

*qualis est forma substantialis ex quâ & materiâ fit ens unum per se.*

3. *Educi de potentiâ propriè indicat habitudinem causæ materialis non efficientis: cum efficiens per virtutem suam educat propriè effectum de potentiâ in actum.*

4. *Adesse vel fieri animæ rationalis sine ullâ præexistentiâ in materiæ potentiâ, formatio corporis est quædam veluti occasio postulans creationem animæ.*

5. *Monstrosa est opinio omnium, qui vel formas præexistere in quibusdam atomis, vel sub potentiâ materiæ actu latitare, vel eas induci in materiam, ab ideis separatis asserebant.*

## Conclusio II.

Formæ accidentariæ aliquæ etiam sine transmutatione reali de subiecti potentiâ excitantur.

### CORROLLARIA.

1. *Ab intentionalibus formis eductio, è subiecti potentiâ non est remouenda.*

2. Cum

*2. Cum artificiosæ formæ habeant in subiecto potentiam naturalem, certum est, eas quoque suo modo qui illis debetur è subiecti potentiâ educi.*

*3. An autem formæ supernaturales capaces sint eductionis saltem è potentiâ obedientiali. D. Tho: 1. Secundæ quæst. 51. art. 2. determinat: cum hoc vberiùs prosequi non sit Physici instituti.*

*4. Modis accidentalibus naturalibus qui per propriam actionem fiunt, quæ per se primò tendit ad aliquid educendum ex præsupposito subiecto, lex eadem quæ formis accidentarijs conuenit.*

*5. Motus violentus quia per causam naturalem efficitur, Relationes etiam è subiecti potestate excitantur.*

## Conclusio III.

Vera intensio, formarum accidentariarum per alterationem acquisibilium, adeo est propria: vt repugnet omnibus formis substantialibus.

### *CORROLLARIA.*

*1. Intensio perficiens actionem circa idem subiectum*

*iectum*

*iectum unitum quid in eadem parte subiecti dicit, remissio verò contra se habet,*

*2. Acquisitio perfectionis intensiuæ est vera & realis actio & passio seu mutatio.*

*3. Intensionis & remissionis dantur certi termini.*

*4. Intensionis formarum accidentariarum est successiua acquisitio.*

*5. Habituum etiam intensionem fieri successiuè propter limitationem & determinationem talis virtutis & aliquam resistentiam ex parte subiecti, à verò non est alienum.*

## Conclusio IV.

Modorum intensionis & remisionis omnium qui à variis diuersi afferuntur additio gradus ad gradum vel remotio per quam formæ accidentales intenduntur vel remittuntur, veritati est accomodata,

### CORROLLARIA.

*1. Forma remissa virtute in intensâ continetur*

*netur, suntque ambæ eiusdem speciei.*

*2. Admistio vel remotio contrarij itemq́; acquisitio gradus perfectioris, desinente imperfectiore, aut imperfectioris, perfectiore, intensionis & remissionis veram rationem minimè subit.*

*3. Omnes gradus formæ qualitatiuæ constituunt vnam numero qualitatem; cum hoc proprium qualitatis esse videatur vt habeat latitudinem intensiuam in eadem parte subiecti.*

*4. Gradus intensionis in eadem qualitate sunt eiusdem rationis.*

*5. Ordo in gradibus homogeneis saltèm accidentalis est statuendus.*

Cum his in campum Philoſophicum excurrere licuit.

Regente feliciter Academiam Admodum Reueren: Domino D. IACOBO NAIMANOWIC. I. V. D. & Profeſſore, Archidiacono Pilcen: Cuius virtuti, ſapientiæ, fortitudini, vigilantiæ poſt Deum Opt: Max. literulas noſtras & earum ocium debemus.

